



Ex quibus omnibus fiet manifestum, quòd si datæ sint A & C quantitates, earumque Logarithmi, & tertia item data sit L, quæ in serie nullâ esse possit in qua sunt A & C quantitates, quantumcumque series illa extendatur aut diuidatur aut multiplicetur (quod fieri posse demonstrabitur) non posse in hoc casu inueniri Logarithmum quantitatis L, ac propterea malè propositum esse Problema. Atque ex hoc ipso limitationem inueniemus, quâ constringi Problema debuerat, sicque in ordinem redactum ad Geometricam constructionem reuocabimus, quod nullis videbatur legibus posse coërceri.

Vt autem hisce quæsitis Geometrico rigore faceremus satis, potissima doctrina Partis quartæ l. 7. de Hyperbola, ex Opere Geometrico R. P. Gregorij, repetenda hîc foret; fundamenta enim doctrinæ quę Logarithmos complectitur inibi continentur. Sed quia nimis longum id foret, statui tres quatuorve Propositiones hisce inserere, quæ instituto nostro faciant satis. Demonstrationem ipsam non apponimus breuitatis gratiâ, propositionem ipsam exposuisse contenti; vt quibus ipsum Opus Geometricum R. P. Gregori ad manum non fuerit, intelligant nihilominus quænam isthic veritas proponatur; sicque demonstrationes nostræ, in quibus illæ citabuntur, clariores euadent, manifestiorque fiet veritas.

## PROPOSITIO PRIMA.

DAta quauis serie linearũ AB, AC, AD, AE, AF, AG, &c. quę eandẽ rationem continuent AB ad AC, erigantur ad angulos rectos lineæ AG punctis G, F, E, D, C, B aliæ rectæ nimirum GN, FM, EL, DK, C, I, B H, quæ sint in eadem ratione cum lineis AB, AC, AD, AE, AF, AG.

Dico puncta H, I, K, L, M, N, &c. esse ad Hyperbolam cuius asymptoti sunt A V, A G, quæ ad rectos angulos sibi inuicem eriguntur.




*Demonstratio.*

PAtet ex 298. lib. de Hyperbola. omnia enim rectangula A H, A I, A K, A L, A M, A N æqualia sunt.

*Corol-*